

Nicolai Biefsij Ganda

VENSIS DE REPUBLICA LIBRI

QVATVOR, QVIEVS VNIVERSA DE
moribus Philosophia continetur.

Ad

Illustriſſ. & Reuerendiss. Dominum, D.
Antonium Perrenotum, Episcopum Atre-
batensem, &c.



ANTVERPIAE

Apud Martinum Nutium sub Ciconijs.

Anno Salutis. M. D. LVI.

Cum priuilegio Cæfaris.

MARTINVS NVTIVS LECTORI.



Vām sit officium nostrum cum publica studiosorum atq; bonorum omnium utilitate coniunctū, hu manissime Lector, qui aliquid mentis habet, facile cognoscit, cion dubium esse nequeat, quin temeritatis plenae sint res omnes humanæ sine doctrina, cui librorum commoditas, quam nos exhibemus, optimè seruit. Quoniam igitur hoc officio meo recte fungi cupio, & quantum possum in publicum usum conferre, diligentia omnem adhibendā mihi puto, in eorum virorum scriptis excudēdis, quibus videntur studiosi maxime posse iuuari, inter quæ visa sunt alijs à me debere præferrri ea quæ nondū publican lucem viderunt, ac sine opera nostra facile non sunt in apertum studiosorum conspectum ventura. Ita factum est, ut eorum amicitiam semper diligentissimè captarim, quorum ingenia Recip. maximum fructum videbātur allatura. Cūm itaq; mihi fuerit vetus amicitia tum Nicolao Biesio Gandauensi, postquam eius nō paucos legiſſem libros, quibus meo & multorum eruditorum iudicio, possint studia literarum promoueri, obnixē rogaui, ut eos pateretur à me publicari, qui quanquam diu multumq; restiterit, quod in ijs diceret suis desiderijs adhuc minime satisfactum, tandem continuis nostris precibus victus, inter alios, hosce quatuor de Rep. libros cōcessit, quibus aiebat fortunā iustum suum ornatū & extremā manū denegasse, quod alijs necessarijs studijs distractus, ad hāc pulcherrimā intelligendi partē, quā iam diu reliquisset, deinceps redire nō posset. Ita ferme nunc cum magno nostro, imò vero totius Recip. malo, fieri solet, ut illi quibus est animus ad promouendā cōmunem utilitatē paratus, impediatur, quo minus honestissimi sui voti cōpotes fiant. Tantū enim omniū hominū scelus est, ut digni nō simus, qui aliquid præclarū in rebus humanis videamus, quod tamen frequenter videremus, si viris eruditis, qui soli sciunt, quomodo res omnes cūm priuata tū publicæ bene cōstitui beneq; cōstitutæ cōseruari velint, debitus exhiberetur honos. Hęc sanè præcipua causa videtur, cur passim solidā doctrinā contēni patiatur Deus, quod dū eā homines negligunt, de se tanquam iustas scelerū penas sumunt. Nā fieri nequit quin illa Resp. plurimis obnoxia sit calamitatibus, in qua viri docti pretium suum non habent, sed destruuntur ijs, quibus ad prouehendam communem felicitatem est opus. Verū harum & aliarum præclarissimarū rerum causas, optime Lector, ex his libris facile cognosces, quos si qua spero leges humanitate, dabis animū ad alia multa, que nihil aliud q; tuā benevolentia expectat. Vale.

AD ILLVSTRISSIMVM
ET REVERENDISS. DOMINVM
D. ANTONIVM PERRENOTVM, EPI-
scopum Atrebatensem, Cæsareæ Ma-
iestatis & rerum status primum
Confiliarium, sigillorumq;
custodem, de Repub.
Lib. IIII.

Nicolao Biesio Gandauensi Authore.



Vanquam studiosis video semper
ab omnibus fuisse concessum, il-
lustriss. Præful, vt omni cona-
tu sibi benevolentiam & patroci-
nium eorum virorum concilient,
in quorū virtutibus totam spem
salutis & dignitatis suæ positam
habent, tua tamé amplitudo sum-
ma me deterruit hactenus, vt ego, qui nihil magis optarē,
in conspectum tuum venire non auderem. Nam dum cer-
nerē cum reliquis innumeris & maximis ornamentis tuis
coniunctam tantam quoq; prudentiam & eruditionem,
quantam ad Remp. rectè gubernandam tempora nostra
nō mediocriter requirunt, facile intelligebā cum ijs nihil
omnino, nisi quod numeris omnibus absolutum esset,
bene conuenire posse: cùm autem cogitationem ad me
subinde conuerterem, dolebam esse multò minorem hanc
industriam & eruditionem meam, quàm vt eam possit
summa tua sapientia & authoritas non contemnere. Ve-
rūm cùm omnia diligentius circumspicerem, & cernerem
in amplis familijs etiam deterioris conditionis homines,

A qui,